DISPUTATIO POLITICA
De
INSVLA & OPPIDO BATAVORVM
Quod
NEOMAGVM VOCANT.

QVAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. GEORGI HORNI, Histor. & Polit. in Alma Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ (quæ est Hardervici) Academia Profess. Ordinarii.

Publice defendet,

PETRUS van HAPS Neomago-Gelrus.

Ad diem 10 *Junij horis locoque solitis.*

HARDERVICI.

Typis EGBERTI ARNOLDI à Nunspeet,
Anno 1648.

Illustri, Nobiliss. Ampliss.

SENATUI alta antiquitate OPPIDI BATAVORUM (quod est NEOMAGUM) ejusque CIVIBUS.

Hanc Exercitationem Politicam

Devoto animo

D. D.

PETRUS van HAPS.

Resp.

DISPUTATIO POLITICA
De
INSVLA & OPPIDO BATAVORVM
Quod
NEOMAGUM VOCANT.

I.

BATAVI, ut Tacitus docet, *Cattorum quondam populus, & seditione domestica pulsi, extrema Galliæ ora vacua cultoribus, simulque Insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum & latera circumluit* Nimirum antiquissima hæc lex fuit quam Ansibarij Romanis olim ingessêre: *Sicut coelum DIS, ita terras generi mortalium datas: quæque vacuæ, eas publicas esse.* Caput gentis *Oppidum Batavorum* fuit, id est *Neomagum*, ut &. *Smithius*, singulare urbis illius ornamentum, ostendit.

II.

Præcipuè sub Romanis eorum celebrari virtus coepit ac fama, cum, quod incomparabile illo ævo privilegium, AMICI, FRATRES, SOCII Romanorum dicerentur. Ac mansit honos & antiquæ Societatis insigne. *Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit, exemti oneribus & collationibus, & tantum in usum prælio rum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.* Hinc fidi Romanis, quamdiu modestè habebantur. Ubi servitus ingesta, promtus illis libertati aut ad mortem animus. Nec fortissimæ genti, vindices libertatis Cl. Civiles defuerunt.

III.

Bello non alij celebriores, Præstantissimus eques præcipuo pugnandi studio, freta, flumina, quicquid alijs inaccessum, arma equosque retinens, superabat. In prælio rem ad mucrones ac ma-

ius, veteri exercitio adducere soliti, ac *Ora foedare*. Quod, ut peculiare ipsis, in Agricola Tacitus notat.

IV.

Tales sub Romanis. FRANCORUM successit potestas, quos eadem fide ac comitate coluerunt. Ac tum abolito paulatim veteri nomine, *Franci* vel *Austrasij* dicebantur. Donec Imp. CAR. Crassi tempore, in Hollandos Ultrajectinosque divisi, tertiam Batavicæ gentis partem, & vetustatis suæ tenacem, illi quos hodieque *Betavos* dicimus, constituerent.

V.

BETAVIA, inter quatuor Gelriæ tetrarchias prima, ac in *superiorem* & *inferiorem* divisa, NOVIOMAGUM caput habet. Origo nominis, ob nimiam vetustatem, ignota est, & frustra quæritur. Jam diu ante Gallieni tempora ita appellatam, ex antiquis constat monumentis.

V.

Status Neomagi sub *Imperio*, sub *Principibus*, sub *Ordinibus*, spectatur.

VI.

Sub IMPERIO, maxima omnino Noviomagi dignitas fuit: Nam Carolus Magnus, quatuor imprimis urbes inpense ornavit, Aquisgranum, Noviomagum, Ingelhemum, ac Theodonis villam. Et *Aquisgranum* quidem, *urbs regalis, regni sedes principalis, prima regum Curia, Sedes Imperij trans Alpes, et altera Roma* vocabatur. Proxima dignitate *Noviomagum*, ubi Palatium Imperatoris, à Carolo constructum, & cui omnia Aquensium privilegia ab Impp. indulta sunt. Unde territorium eius, quem ad modum & Aquense, signanter *Imperium* dictum, alio nomine *Burggraviatus*, cuius dignitatis sedes est arx *Valckenhof*.

VII.

Sub PRINCIPIBUS ab Anno cIↃ ccXLVIII esse coepit, cum *Guilhelmus* Hollandus Imp. vniversam ditionem Ottoni III,

ni III. oppigneraſſet. Nam arcem jam ante ea tempora Ottoni II. in feudum Fridericus II. contulerat. Neque vero illa oppigneratio libertatem urbis ac privilegia infregit. Quæ complures poſtea Jmpp. Richardus, Rudolphus I. Albertus, Ludovicus, Carolus IV. Wenceſlaus, Fredericus III. Carolus V. non tantum confirmarunt, verum etiam inſigniter auxerunt. Ut etiam poſt oppignerationem Imperialis manſerit civitas, & in Imperij Rom. tutela ac patrocinio. Quod vel ex Diplomate Rudolphi I. IX. Kal. Octob. clɔ cc LXXXII. videre eſt.

VIII.

Uſitatum Principibus, privilegia populi per varias inſtingere artes. *Res* enim ferè *diſſociabiles ſunt, Principatus ac Libertas.* Hinc illæ Comitum Ducumque machinationes, quibus Neomagum, urbem nimis liberam, ac judicio aulæ, privilegijs præferocem, oppugnarunt. Ac inania quidem, Principis hæreditarij titulus, cum alijs facile transmiſſa ſunt. Cæterum libertas nullis extorqueri molitionibus potuit, ne quidem terrore admoto. Neque raro Principes libertati graves in ordinem redacti. Nam Reinaldo I. ac III. & Arnaldo Egmontano Jmperium abrogarunt. Ac cum Carolus, ultimus Egmontiorum, libertatem ac privilegia præfracte imminueret, civitas ſumtis armis oſtendit, penes ſe vim Reipublicæ ſitã eſſe. In quo negotio præcipuæ conſulis Iac. Caniſii partes fuerunt, de quo ſub extrema vitæ Carolus exclamavit: *O Canis maledicte, O Canis, tu qui me ditionibus meis ac ſubditis exuiſti, etiam ereptum cor advolas.*

IX.

In tanta populi libertate, ſumma Principibus fides ac obſervantia exhibita fuit. Nam nec induci unquam amplis Impp. promiſſis potuêre, ut ſub Imperium, relicta Gelria, redirent: & in Egmontios imprimis flagrantiſſima ipſorum ſtudia memorantur.

X.

Privilegia civitatis ampla admodum ſunt atque eximia. Jus

monetæ;

monetæ; legum pro arbitrio rogandarum & abrogandarum: Magiæ per Gelriam, Imperium, Brabantiam, Cliviam, Hollandiam, Zelandiam, Leodiensem Dioecesin, immunitates. Telonium & præfectura territorij Mosæ-Vahali: Fæ lus cum Antertinicis. Quæcunq; liberrimis competunt Civitatib? Jmperij, Regalia.

XI.

Regimen prudentissimum, antiquo more, ex primoribus gentis ac promtissimis vulgi. *Senatores* XXIV, *Consules* bini. *Plebs* per societates divisa & Tribus, inter quas præcipua S. *Nicolai* Sodalitas, Ducentum virûm, Tribunitia Reip. potestate cum Patribus administrabat. In Civilibus provocatio ad Aquisgranensem curiam: in criminalibus nulla erat. Denique totius Reip. summa penes Magistratum: Principibus probandi quod decretum libertas relicta; contraniti secundum leges non poterant.

XII.

Sub ORDINIBUS fœderati Belgij, Anno clc Ixxc esse coepit, à quo tempore, primum inter urbes locum suffragiumque obtinuit. Tum quoque forma Reipubl: in quibusdam mutata. Abrogatæ fraternitates. In locum Sodal: S. Nicolai, XXXI viri succedere, quos Tribunos pl. vocant. Senatorum numerus infra XXIV. Electio horum, durante bello cum Hispanis, penes Gubernatorem, ex pacto fuit.

XIV.

Calamitates civitas hæc graves per totsecula sustinuit. A Civili, Normannis, Godefredo Lotharingo; direpta & combusta. Bis ab Jmperio proscripta. Civilibus inter Reinaldum & Edoardum bellis jactata. Et dum per sexaginta annos & amplius, Egmontios asserit, singulæ fere Noviomagensium familiæ, singula leguntur amisisse capita. Cunctis gravior miseriis Hispanica, quæ sexennium durauit, servitus fuit, & quod secutum pro libertate bellum, non ulli gravius urbi, quam huic, in confinijs infensarum gentium positæ, incubuit.

Atque

XV.

Atque hi casus civitatem bello asperrimam reddidere. Quod annales patrij testantur, & victoriæ, vel magnis, parva sæpe manu, Regibus extortæ. Eaque ut perennaret disciplina, saluberrimis cautum legibus, *ut quisque civium integram corporis sui armaturam possideat.* Ac quoties pro patria pugnandum fuit, arma, viros, pecuniam, promtissimo quisque civium suppeditavit studio, memores illius quod Cerealis, contra Cl. Civilem Batavum bellum gerens, suggerit: *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt.*

COROLLARIA
Respondentis.

1. AN viro forti fugere liceat? *Aff.*
2. An divortium fieri possit ex causa non expressa, præsertim à principe? *Neg.*
3. An judæi in Republica tolerandi? *Aff.*
4. An raptus Benjamitarum excusari queat? *Aff.*
5. An 1. Sam. 8. 9. agatur de jure Regis, an de facto? *Aff.* posterius.
6. An Monarchia sit absolute optimum regimen? *Neg.*
7. An subditi teneantur obedire Principibus si quid contra legem Dei imperent? *Neg.*
8. An Tyranno resistere liceat? *Aff.*
9. An Rex Galliæ dignior sit Hispano? *Aff.*
10. An Imperator dignior Rege Galliæ? *Aff.*
11. An liceat bellum gerere? *Aff.*
12. An Polygamia sit tolerandа? *Neg.*
13. An conjugium cum fratris demortui uxore contractum, divortio dissolvendum sit? *Aff.*
14. An Galli demolitionem munitionum per Lotharingiam de jure urgere possint? *Aff.*
15. An Iulius Cæsar jure interfectus? *Neg.*
16. An fœderatum Belgium habeat omnia jura Majestatis ac Regalia? *Aff.*
17. An Portugallia jure ab Hispanō defeceritⁱ *Aff.*

Doctissimo

D. PETRO HAPSIO
de INSULA & OPPIDO BATAVORUM, quod est
NOVIOMAGUM,
feliciter Respondenti.

UT curant muscas aquilæ sævique Leones
Formidant Lepores villosos, Hapsius *audax*
Sic metuit strepitus, ungues, dentesque furentum
Undique tentantes, sed frustra, & inania ridet
Prælia. Nam solus concurrere cum hostibus audet
Armat â dextrâ, consuetus bella gerendi
Mente, stupent alii, cum quæ sua dicta videntur
Herculei nodi, cernunt ut stramina frangi.
Quo pede cepisti, patriæ sic perge tueri
Mœnia, & à muris hostes depelle feroces.
Hinc laudem portabis ovans, murique sonabunt
Ut dicunt arces Thebarum ludere carmen
Tangenti, nebulis ut Cynthia clara fugatis
Splendet, splendescet tua sic per nubila fama.

Amoris ergo

Grat: Cecini

G: HENCKELIUS Noviom.